

felix , quoad Jo^hada vixit. Nam & ruinas ^{Anno}
Templi instauravit , & cultūs publici cor-
ruptelas sustulit , & præsentem Dei opem
expertus est. Sed à morte Jojadæ descivit
à pietate , oblitus non tantūm præcepto-
rum, sed etiam beneficiorum nutritiⁱ sui :
cujus filium *Zachariam* , redarguentem ido-
lolatriam & alia peccata , crudeliter occidi
jussit. Quapropter ab *Hazaele* Rege Syriæ
graviter afflictus , à *ministris* verò suis inita
conspiracyone è medio sublatu^s est.

Amasia ulciscitur patris necem : ab *Edo-*
m&is & *Arabibus* insignem deportavit victo-
riam Dei auxilio : sed lapsus in *idololatriam*
perdidit fructus victoriæ à *Joa* Rege Israë-
lis cæsus & à suis trucidatus. ^{3105.}

Uzias , qui & Azarias, Rex fortis & indu-
strius , domi forisque rem præclarè gessit:
Philistæos attrivit : *Arabes* domuit: *Ammoni-*
tas vectigales fecit. Elatus fortunâ, cùm
ipse adoleret in Templo, percussus leprâ re-
gno decedere coactus est. ^{3145.}

Jotham Rex probus justusque instaura-
vit ruinas Templi & urbis: *Ammonitis* ve-
rò à se devictis annum *tributum* imposuit. ^{3197.}

Achæs idololatra liberos suos immolavit
Molocho , profanavit Templum , & totum
regnum idololatricis cultibus implevit. Ve-
xatus armis duorum Regum, Israëlis & Sy-
riæ , in auxilium vocavit *Tiglath Philesarem*
Affyrium , in cuius gratiam etiam Syrorum
Sacra admisit , tanquam magis propitia cul-
toribus suis , ministro tantæ impietatis ipso
Pontifice *Uzia*. B Eze- ^{3212.}